Domine ihu xpe exaudi orationem
meam quia iam cognosco quod tempus
meum prope est presta michi sapientiam
et intellectum et illumina cor meum ut
cognoscam te semper omnibus diebus
vite mee quia non est deus nisi tu solus
qui descendisti de celo et illuminasti mariam
de spu sancto. Et rogo deprecor ut illumi
nes cor meum quia peccata mea innumera
bilia sunt valde. Parce michi domine quia
peccaui nimis in vita mea. Tu domine porrige
michi dexteram tuam et libera me ab hijs
et ab adversariis meis visibilibus et invisi
bilibus. Dne deus omnipotens rex celestis
presta michi sapientiam caritatem fidem
veritatem humilitatem castitatem cordis
compunctionem lacrimarum fontem veram
pacem et perseverantiam in bonis operibus
sicut desiderat cor tuum quicquid commisi
sive verbo sive facto aut cogitatione a iuventute mea
usque nunc deleat hec sancta passio tua. Te
domine laudo et glorifico tibi domine confiteor
omnia peccata mea quecumque feci quorum non

nuntiavi in operibus meis malis que sum
operatus. Sed tu domine deus meus qui me
dignatus fuisti tuo sanguine precioso redimere
et in ligno crucis pro nobis miseris pecca-
toribus per tuam magnam misericordiam
concedere me digneris et adiuvare ut non
intrem illum locum pessimum qui est sine
refrigerio sine splendore sine dulcedine
et tenebris sine fine. Miserere mei domine et
exaudi me indignum famulum tuum N.
sicut exaudisti mariam et martham rogan-
tes te cum irent ad monumentum lazarum te
resuscitare quem resuscitare dignatus
es. Ita deprecor domine deus meus ut resusci-
tes me de morte ad vitam eternam. Et ut mi-
sertus sicut fuisti marie magdalene in domo
symonis dimittens eam in pace. Ita te deprecor
domine ut dimittas michi omnia peccata
mea antequam moriar ne gaudeat de me ini-
micus meus. Sed ipsam horam vigilantem
et dormientem et conturbantem minantem
expone te domine qui es miserator et misericors

vt misericordiam tuam michi et omnibus amicis meis
tribuas propter nomen tuum. Et devote supp-
lico vt exaudire digneris deprecationem meam
per merita omnium qui tibi placuerunt ab
inicio creature. Qui vivis et regnas deus per
omnia secula seculorum. Amen.

Oratio

O bsecro te dulcissime domine ihesu xpe
rex clementissime propter illam eximiam
caritatem qua nos in miseratione multa
ad te attraxisti quando tu celestis rex exaltatus
a terra in cruce pependisti vt passio tua
sit virtus mea qua muniar protegar atque
defendar ab omnibus periculis corporis et anime
vulnera tua profunda cruore rubricata sint
michi latibulum propugnaculum atque
refugium in omnibus tribulationibus meis
Effusio sanguinis et aque de latere tuo
dextro egredientibus sit michi potus et ablutio
spiritualis atque expurgatio et lavacrum

cium peccatorum meorum. mors tua amarissima
sit vita mea in defectione. Crux tua sancta
sit signum federis et salutis mee terminum sit
inuicte arma et scutum meum contra hostes et in
imicos meos visibiles et invisibiles. In his
omnibus contingit et per omnia passionis tue insignia
sit gloria et exultatio mea firma fides et
fiducia mea salvatio et protectio vite mee quia
tu es dominus meus deus meus salvator. Et
Redemptor meus in secula benedictus. Amen

LANDES-
UND STADT
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF